

Scripturarum Interpretes, ac Theologi celeberrimi: litant pro nobis Cajetanus, Franciscus Vi-

Tempus est, Viri Theologi, ut exposita Pro-

Neque vero puteris, dum istam provinciam

Controversiæ ventillantur; recula, nenæ, fatuæ



TRACTATUS TERTIUS DE VARIIS HUMANÆ NATURÆ STATIBUS:

PRÆLUDIUM.

Variis Humanæ Naturæ Status explicantur.



Ravissimis Controversiis, quæ de Mundi Opificio, primis Parentibus, Paradiso Ter-

Quocirca ut ab ipsamet prima rerum exponen-

rari debeat; sed miro ordine, docilitate, consen-

His itaque prælibatis, ad Quæstiones, quæ cir-

DISPUTATIO PRIMA.

De Natura Pura.

PRÆLECTIO PRIMA.

Gratiam sanctificantem, cum qua creatus est primus Homo, ita Humanæ Naturæ fuisse debitam, ut sine illa conditio omnino potuisset, nedum spectato Dei supremo Dominio, sed ne laesa quidem suavi ejus Providentiâ, propugnatur.

A Statu Naturæ puræ Tractationis exordium auspiciamus: non quod hujusmodi Status ipsa existerit aliquando; ut enim loco suo demonstrabimus, primus Homo cum Gratia sanctificante, seu cum Originali perfecta Justitia conditus primo fuit; sed quod existisse potuerit, si Conditori Deo ita creare Hominem placuisset, ut nullis eum gratuitis Donis cumulatum, nullo supernaturalis Gratia thesauro dotatum, sed in puris duntaxat naturalibus Dotibus constitutum voluisset. Quocirca Difficultates a magni nominis Theologis agitatae seligemus, ac pro viribus nostris opitulante Deo resolvemus.

Has inter primum obinet locum, quæ de hujusce Status possibilitate movetur Questio. Nec enim desinere, qui Hominem in puris Naturalibus, absque Gratia, cæterisque ejus Consecratis creati a Deo potuisse, salvo Divinæ Providentiæ debito ordine, inficiari sunt: inter quos exitit Michael Bajus, Regius olim in Lovaniensi Academia Professor; ac postmodum Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus; cum quibus impræsentiarum nobis erit certamen. Il porro Dotēs illas omnes, quibuscum conditus est primus Homo, Gratiam videlicet sanctificantem, immortalitatis Donum, subjectionem perfectissimam Carnis ad Spiritum, cæteraque omnia nobilissima Privilegia, quibus in sua Creatione donatus fuit, Humanæ Naturæ ita debitas propugnare, ut Deum injustum, atque crudelē futurum dixerint, si absque illis Hominem condidisset. Hinc orta Questio illa celeberrima, fuerit ne possibile condidi Hominem in Statu Naturæ puræ; hoc est, in eo Statu, in quo nihil esset, quam pura Natura, sine peccato, ut supponitur, & sine Gratia, sine immortalitatis Privilegio, sine obedientiâ & subjectione inferioris Partis ad mentem?

Theologos Baji, & Jansenii Adversarios, factis hinc inde argumibus, scissos videas. Statum illum Naturæ puræ possibilem asserunt Aliqui, si absoluta Dei Potentia spectetur; secus si suavis erga Homines ejus Providentiâ attendatur. Alii contra, utroque sensu illum possibilem dicunt: quamquam in hoc ultimo Theologorum ordine inveniantur & Illi, qui Statum Naturæ puræ possibilem negent, si de obedientiâ Partis inferioris ad Mentem sermo fiat. Nimirum Isti Divinæ Sanctitati repugnare contendunt, ut Hominem condant cum Concupiscentiâ perduelli Rationi: quinimo Concupiscentiam efferentem Naturæ Humanæ contrariam arbitrantur; nec nisi ex peccato sobolescere posse. Secus tamen sentiunt Alii. Quid nos in tanto Opiniorum conflictu judicemus, distincte, atque ex ordine pronunciamus.

Ac de primo quidem Protoperentis Privilegio ita statuo: Gratia Sanctificans, cum qua conditus est primus Homo, ita illi erat debita, ut absque ea creari omnino potuisset, nedum spectato

Dei supremo Dominio, sed ne laesa quidem suavi ejus Providentiâ.

Quid enim aliud, amabo, ex S. Pii V. Bullâ colligamus, quam subinde Gregorius XIII., & Urbanus VIII. novo calculo confirmantur? Duo enim illi Articuli inter tot alios eo Diplomate condemnantur: Deus non potuisset ab initio talem creare Hominem, qualis nunc nascitur: id est destitutum Justitiæ Originali, & Gratia sanctificante: & rursus alius: Naturæ Humanæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ Naturæ (que per Gratiam sanctificantem facta est) debita sui Integritati primæ Conditio: & proinde naturalis condita est, & non supernaturalis. Jam, inquit ego, si duo hæc Doctrinæ Capita a summis Pontificibus proscripserit, opposita igitur statuuntur, uti a Theologis asserenda: nempe & potuisset Deum sine Gratia sanctificante Hominem condere; & Humanæ Naturæ exaltationem, quæ per Gratiam sanctificantem facta est in Homine primo, eidem profus indebitam existisse.

Suffragantur itaque Sententiæ etiam Patres; ac ipsemet D. Augustinus, quo uno Patrono Bajus, & Jansenius sibi gloriatur: Homo (inquit Sanctissimus Doctor Lib. 2. cont. Maxim. cap. 15.) ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius, ejusdemque substantiæ, non est verus filius; & ideo si Gratia Filius, quia non est Natura. Si porro per Naturam Filius Dei non erat; non erat itaque Naturæ debita Gratia sanctificans, quæ Divinam illam Adoptionem adeptus est. Et vero communissima Gratia Notio, quam feceritis, & amplius locis post Apostolum nobis tradidit Augustinus, gratitum aliquid sonat, gratis a Deo concessum, liberaliterque Creaturæ donatum. Quid ergo illum primo Parenti debitam effutimus? Sane, si Pelagii Dogma universæ Ecclesiæ adeo horrore, & indignationi fuit, quod Gratiam vellet secundum merita nostra dari; si eam vel hoc solo nomine funditus evacuavit, quod eam Humanis meritis debitam blasphemaret; quo sensu Baji, ac Jansenii Commentum excipiemus, dum eam Humanæ Naturæ nullis adhuc meritis exornate, cum primo condita est, ita debitam fabulantur, ut illam Deus citra injuriam ei denegare non possit?

Equidem non ignore, novam in nobis ex peccato Originali indignitatem succrescere, quæ magis Divinæ Gratia indigni evadimus. At non ideo, dum sine peccato conditus est primus Homo, Divinæ Gratia dignus erat. Non eratis, ut cum Schola loquar, positive indignus, sed negative: quia tamen nihil, quo eam demeretur, præfereret; nihil tamen, quo eam mereretur, habebat. Neutri ergo Gratia debita censeri debet; nec Homini lapsus, nec Homini integro; quamquam uni minus, quam alteri indebita dici debeat.

Res in aperto ponitur. Exemplo trito admodum, ac familiari: Occurrant mihi duo Pauperes, atque Mendici, qui ambo elemosinam rogent: neutri profecto pecuniam debeo; quamquam obtinenda pecunia indignior foret ille, qui me forte injuriis afficeret. Ita profus impræsentiarum: Deus autem, qui dives est in misericordia, inquit Apostolus ad Ephesios cap. 2. Homo contra, egenus, ac pauper ex ipsa sui conditione, quæ ex nihilo factus est: huic igitur recepto condito

dito indebita Gratia est; quamquam & illi sit longe magis indebita, quæ ex tempore peccato suo Misericordiæ Fontem offendit.

Novit id profecto S. Cyrillus Alexandrinus, & alteram nobis adversus Jansenium, & Bajum rationem subministrat Lib. 1. Comment. in Joan. cap. 13. Creatura autem (inquit) cum serva sit, nutu solum, & Voluntate Patris ad supernaturalia vocatur: non ergo vocatur ex debito. Cur id porro? Quia Creatura ex sui conditione serva est: nulli autem servus debetur Adoptio in Filium; nulli servo debetur Hæreditas.

Facit ad hæc petita ex Angelis comparatio. Ti quippe sine peccato profecto conditi sunt. At non ideo debita illis Gratia fuit, quæ in ipsa sui creatione donata sunt. Explicatissima est ea de re Augustini Sententia Lib. 13. Confessionum Capitibus 2. 3. & 4.: quin & hoc addit, tam liberum fuisse Deo, ut illos sine Gratia concederet, quam ut illos nullatenus conderet: Sed si cur (inquit cap. 3.) non te promeruerat, ut esset talis vita, quæ illuminari posset; ita nec cum jam esset, promeruit Te, ut illuminaretur. . . . ut & quodcumque vivit, & quod beate vivit, non debet, nisi Gratia tua.

Quo circa Basilii Magni Lib. de Spir. S. cap. 16. hæc habet: Neque enim Celorum Virtutes suapte Natura Sancta sunt: nam si id esset, nulla se differret a Spiritu Sancto. Quæ ergo ratio esse potest, ut quæ Angelis Gratia erat indebita, primo Homini deberetur? Est enim Angeli Natura dignior, Mens altior, Deo similior, nulla cum labe, peccatove condita. Facebant ergo ea Janseniana Commenta; pudeatque, Gratiam sanctificantem, Divinæ Naturæ Participationem, Filiationis Adoptionem, Eternitatis Semen, supernæque Gloriæ Pignus, Naturæ Humanæ conditioni debitam effutire; ut injustitiæ etiam accusari Deus Optimus posset, si sine illa primum Hominem condidisset.

Quantum ab eo Theologiæ Portento abhorruerit Augustinus, alio ex Capite manifeste deduco. Primi, uti notis, Gratia sanctificantis Protoperenti concessæ Fructus, Propagines, Consecraria duo hæc erant: Illustratio Intellectus, & sancta Voluntatis Affectio; quibus ad rectum peragendum sua sponte alacriter, atque facilliter propendebat: quæ duo nos Originali peccato fauciari non habemus; tamen per Baptisma renascamur in Christo, simulque Gratia sanctificante donati. Infelici fato experimur in nobis etiam regeneratis, Ignorantiam veri, & Difficultatem recti peragendi, uti relicta ex Originali peccato vulnere, quæ necdum plane deterit lavacri Baptismatis ablutio. Si ergo ex Augustino demonstravero, Deum nequidem injustitiæ argui posse, si Hominem cum Ignorantia illa veri, & Difficultate recti condidisset; nunquid, amabo, posteriori titulo concludendum, multo minus injuriam argui Deum Optimum posse, si Hominem absque ea primigenia Gratia creavisset; unde Illustratio illa Intellectus, & pia Voluntatis agenda Facilitas profuebant? Audite igitur inelycum Divinæ Gratia Defensorem Lib. 1. Retract. cap. 9. ad quam miseriam (inquit) juste damnationis pertinet Ignorantia, & Difficultas, quam pariter omnis homo ab exordio natiuitatis sue. . . . Quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere, negantes Originale peccatum: quamvis Ignorantia, & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandas, sed laudandus esset Deus. Quo nihil explicatius, nil luculentius adversum Bajum, acque Jansenium asserri potest. Rursus Lib. de Dono. Persever. cap. 9.: Eriam si (inquit) verum esset, quod dicunt Pelagiani, Serry Tom. IV.

giani, Ignorantiam, & Difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur primordia, & supplicia esse Natura; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt, duas, boni scilicet, & mali, coeternas esse Naturas: hoc est; Natura a malo Principio prodiisse, dici non posset.

Bina illa Augustini Testimonia ex duobus illis Libris petita laudare volui, Viri Theologi; ut inde notatis, quantum in Augustini Doctrina peregrinus, & hospes Jansenius extiterit: qui cum non abfinitia legisset in Augustino Lib. 3. de lib. arb. cap. 22., quæ magnum illi negotium facebant, illico, veluti ridente Mercurio, respondit, Augustinum ita quidem sensit juvenem, sed senem mutasse Sententiam. Quæ vero fortuna Sententiam hanc senior retraxerat, si illam ipsam in Libris Retractorum asseruit; atque etiam in Libro de Dono Perseverantia, quam post ipsos Retractorum Libros morti proximus elaboravit?

Verum est aliud, quod non sine aliqua veritatis specie reponit Jansenius, ut ab iis Augustini Testimoniis se expediat; in cuius propterea enodatione tantisper immorari necesse est. Reponit videlicet ille, Augustinum de Naturæ puræ Statu, qualem Theologi comminiscuntur, minime locutum esse, dum Statum illum possibilem dixit, in quo Ignorantia veri, & Difficultas recti essent Hominis primordia naturalia, non supplicia Naturæ. Theologi enim, ait ille, neque Divinæ Gratia Auxilium, neque Ordinem ad supernam Beatitudinem, neque Virtutum exercitium in Naturæ puræ Statu futurum ajunt: Augustinus vero, ut Dei justitiam in tuto ponat, si eo in Statu, de quo loquitur, Hominem condidisset, hanc unam rationem adducit: quod nempe eo in Statu posset Homo, opitulante Creatore suo, Virtutem excolere, & ad quietis Beatitudinem pervenire. Ita sane sapientissimus, & sanctissimus Doctor Lib. 3. de libero arbit. cap. 22.: Ignorantia vera, inquit, & Difficultas, si naturalis est, inde incipit Anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur Vita beata, promoveri. Et paulo infra: Si Ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in Sapientia quietisque Beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recto arguit. Sed si proficere noluerit, aut a profectu retrosum relabi voluerit, jure meritoque penas luet. Explicatius vero capite 20., Hominem, si cum Ignorantia veri, & Difficultate recti conderetur, non ideo fore miserum probat; quia etiam eo in Statu facultatem haberet, ut adjuvante Creatore se ipsum excoleret, & pio studio posset omnes acquirere, & capere Virtutes, per quas & a Difficultate cruciante, & ab Ignorantia cecante liberaretur. Non sic ergo de Statu Naturæ puræ, qualem comminiscitur Schola, loquitur Augustinus.

Eo nos telo petit Cornelius Jansenius: sed & ab eo scire velim: de quo ergo Statu sermonem habet Augustinus, si de Statu Naturæ puræ non loquitur? Nullus enim alius fingi potest, in quo Ignorantia veri, & Difficultas recti forent Hominis primordia naturalia, non supplicia Naturæ. De hoc igitur locutum Augustinum fateri necesse est. Neque mirum videri debet, si Dei Conditoris Auxilium hoc in Statu ponat sanctissimus Doctor: Auxilium enim intelligit, non superni Ordinis, quod stricto nomine Gratiam appellamus; sed naturalis Ordinis Adjutorium, quod Statui Naturæ puræ, non defuturum æstimandum est, ut Homo Virtutes excoleret, sin minus Theologicæ, quæ Status hujusce vitæ omnino excedunt, saltem Morales, quæ Humanæ conditioni debeant.

debeantur. Neque etenim Hominem, si eo forte in Statu conditus esset, uti truncum, aut stipitem æstimare par est, aut illum more pecudum vitam ædurum; ut omnem ab eo Statu Virtutis cultum eliminare debeamus, aut singularem in illum supremi Numinis Providentiam abnegare. Absit. Quietis quoque Beatitudinem adipisci possit, ut voluit Augustinus, utique naturalem, in abstractiva Dei cognitione positam; non vero supernaturalem, in intuitiva Visionem, ut Schola loquitur. Sed ea de re sermo redibit in sequentibus, dum Jansenii, ac Baji Momenta excutiemus, quibus Gratiam sanctificantem primo Homini debitam probare contendunt; Deumque injustum fore, si sine illa Protoperantes condiderit.

PRÆLECTIO II.

Baji, & Jansenii Momenta adversus præcedentem Assertionem reselluntur.

Primum hominem sine Gratia sanctificante a Deo condi potuisse, eamque primæ conditioni nullo jure fuisse debitam, in antehabitis demonstravimus contra Bajum, atque Jansenium. Eos hodie ad audientiam admittimus, ne se forte a nobis inauditos damnari conquiri possint. Molestè imprimis habent, se Pelagianum Erroris aliquantum insinulari, quod Gratiam sanctificantem Humanæ conditioni primum debitam usque adeo effugerint, ut Deum injustum fore contenderent, si sine ea Hominem condidisset: hoc etenim, uti meministis, præcipuum Caput erat, ob quod illos in antecessum, & præcipue Jansenium, in iudicium vocabamus. Quare, ut eam imprimis Pelagianum Erroris excusationem eluat Jansenius cum Bajo Magistro suo federatus; multumque se a Pelagianis eo etiam in Capite distare significet, Gratiam sanctificantem bisariam Homini debitam dici posse contendit: primo; debito orto ex jure, quod Homo bonis operibus acquirit ad Gratiam obtinendam: secundo; debito orto ex decencia, & æquitate Conditoris. Primum Pelagianam Hæresim sapere concedit ultro; alterum nullo pacto. Equid enim, inquit ille, Creaturam rationalem magis deceat, quam Gratia, qua suum diligit Conditor? Quid Conditoris æquitati congruat magis, quam ut opus suum nullo vitio inquinatum, quale primo ex ejus manibus prodit, Gratia sua, atque Benevolentia proficiat? Quare colligit Yprensis Episcopus: si sine Gratia Deus Hominem condidisset, nihil quidem contra Creaturæ jura tentasset, quasi hæc ex justitia Creatam præviis operibus meruisset; sed contra Sapientiam suam egisset, cuius jura facta teque servare debet, non secus ac æternæ Justitiæ suæ Leges inviolatas custodire.

Rem Exemplo confirmat ex Scholasticorum, ut ait, vulgari Doctrina petro: Il enim, inquit Jansenius, quoddam Gratiæ sufficientis genus communicantur, quæ veri nominis Gratia sit, atque idcirco gratis data: quam tamen Creaturæ rationali in Statu etiam Naturæ lapsæ debitam dicunt; nec ei a Deo negari posse existimant; alias impossibilia jubere, nec peccatum Homo vitare possit. Multo minus itaque Gratiæ naturam evertere putandi sunt, qui eam Homini primo, qualis ab initio factus est, debitam profiterentur: tantoque illi a Pelagianismo longius abcedunt, quanto mitius est, Gratiam Homini primo debitam asserere, quam Homini lapsæ debitam esse: cum prior nullo ex Capite foret indignus; alter vero multiplici titulo indignitatem contraxerit.

Multum hoc fuci, multum verisimilitudinis; parum, ac plane nihil veritatis habet. Unde enim Jansenius colligit, Gratiæ sanctificantis naturam servatum iri, modo non detur ex debito stricto jure questio, tamen ex congruitate; atque decencia conferatur? Id ego tam fallum esse contestor, quam quod falsissimum. Quæ etenim, amabo, congruitas esse potest, quæ decencia, ut servus in filium adoptetur, & Creatura Divinæ confors Naturæ evadat? Nulla hic profecto congruitas; nullum decencie debitum. Id si fiat, uti adoptantis Dei Misericordiæ, uni ejus Bonitati deputandum. Ita nos docet sexcentis in locis Doctor Angelicus; ac præsertim *Quest. 27. de Gratia art. 1.*, ubi expresse testatur, *Hominem ex natura sua dignum non esse tanto bono cum sit supernaturale*, ita subdens: *Et ideo ex hoc ipso, quod ponitur aliquis Deo gratis respectu hujus boni, ponitur quod sit dignus tali bono supra sua naturalia: quod quidem non movet Divinam Voluntatem, ut hominem ad bonum illud ordinet; sed potius e converso, ex hoc ipso, quod Deus sua Voluntate aliquem ordinat ad vitam æternam, præstat ei aliquid, per quod sit dignus Vita æterna.* Ubinam ergo hæc Jansenii congruitas? Ubinam consuetudo illa æquitas, & congruitas? Congruum quidem, & æquum est, ut stante Hominis elevatione, & in vitam æternam Divinam ordinatione, Deus ei Gratiam suam impertiatur, quæ Medium esset necessarium ad eam assequendam; sed nulla profecto congruitas est, nulla æquitas, ut idipsum Deus sua Voluntate disponat; poterat siquidem non ita ordinare. Hoc ex unico Voluntatis suæ beneplacito pendet, ut ait Præceptor Angelicus. Quare verbis ludit Jansenius, ut nobis illudat, dum Conditoris Æquitati congruere asserit, ut Opus suum nullo vitio inquinatum sua Gratia proficiat. Congruit id sane; non Æquitati sed Bonitati. Aliud porro sonat Æquitas, aliud Bonitas; Æquitate largitur Deus, quod iustum est; Bonitate, quod libet.

Neque tamen diffiteor ego, purum potumque Pelagianismum eo præsertim in Capite positum fuisse, quod Gratiam bonis Hominum operibus stricto jure debitam Pelagianis effugerent: in quam profecto fovam sua illa Assertionem Jansenium incidisse non dicimus. Verum nec diffiteri Jansenius potest, Pelagianismi reliquias, quas sub Massiliensium nomine damnant Synodus *Arausiacæ II.* sub Felice IV. & Caletinis I. (apud Labbeum) istud quoque Erroris sui Caput habuisse, ab Ecclesia proscriptum *Deus nobis Munera sua ex congruitate largitur.* Illud porro ipsum Pelagianum Erroris est vitium, in quod sua illa Argutione captum dixi Jansenium, iterumque dico. Nec satis mirari possum, Jansenium bifrontis Jani a Poetis jactitanti personam induisse in suis de Divina Gratia elucubratis Operibus. Is quippe nedum duplicem vultum induit; nedum sibi dissimilem, sed sibi plane repugnantem ostendit. De Gratia in Statu Naturæ lapsæ dum scribit, Manichæorum vultum gerit, liberum arbitrium funditus perimendo; eaque idcirco de causa dignam Ecclesiæ censuram meruit: ubi vero de Gratia primi Hominis Quæstionem instituit, Pelagianismum redintegrare videtur, Gratiam Naturæ debitam effundendo. Sic certe destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Ad illud vero, quod de Gratia sufficiente jactat Jansenius (quamquam ego ab eorum Theologorum Sententia procul absum, qui eam Homini absolute debitam, ac necessario conferendam existimant, ne Deus illi impossibilia jubere censetur) obiter hoc loco dicam, eam ab illis ipsis Theologis debitam asseri, non Humanæ Nature

etiam absque peccato. Sic enim carentia Divinæ Visionis non est pœna, sed defectus consequens omnem Naturam creatam. Quæ itaque ex Augustino profertur tam pia, quam vera Animæ ad Deum videndum suspicietia & desideria, non innata desideria illa sunt, sed ex Gratia profecta: aut si forte innata illa esse velis, atque congenita, quod tamen omnino nego; congenita esse dicam Naturæ ad supernaturalem ordinem elevatæ, qualis re ipsa condita fuit; non congenita Naturæ puræ, sibi que relicta; qualem condi potuisse propugnamus. Tantum enim abest, ut pios illos affectus Naturæ insitos voluerit Augustinus; quin potius Pelagianus, ac maxime Julianus, non semel insectatus est, quod quædam Virtutum semina Naturæ inesse fabulati fuissent.

Et responso elisum arbitratur alterum Jansenii telum, quo statutam a nobis Assertionem impetere sibi putat, dum ita sibi videtur subtiliter arguari: *Et in Statu creati Homo non potest, quo Conditorum suum diligere nequeat: foret enim hæc summa perversitas. Quis porro sibi fingat, potuisse Hominem eo in Statu diligere Deum Conditorum suum, in quo Gratia sanctificante orbatus esset; cum dilectio non nisi ex Gratia sanctificante sobolescat? Hoc, inquam, telum jam elisum est. Quia etenim ratione duplicem Beatitudinem distinximus, illam duplicem Dilectionem distinguere licet: supernaturalem unam, naturalem alteram. Priori uti Auctor Gratiæ diligitur Deus; posteriori uti Naturæ Auctor amatur. Illam in Statu Naturæ puræ impossibilem dicimus; istam possibilem arbitramur. Quamvis enim naturalis ea Dilectio, qua Deus uti Naturæ Auctor amatur, Naturæ lapsæ vires superet; nec sine Dei Gratia esse possit in hoc corruptionis Statu; nequam tamen Naturæ puræ vires excederet. Quorsum id? Quia nempe Natura jam nunc Originali peccato sancata tota in privatum bonum propensa est, & a Deo procul averfa: quæ duo in Natura pura non essent; nihilque idcirco veteret, quominus naturali Dei concursu munita absque Gratiæ supernaturalis ope Deum Naturæ Auctorem naturali, ut vocant, Dilectione proficiat. Doctoris Angelici Responso est *Quodlib. 1. art. 8.*; ubi Quæstionem movens, utrum primus Homo Deum dilexerit plusquam se ipsum, ita Disputationem oritur: *Dicendum, quod si homo fuit factus in Gratia (ut ex verbis Basilii, & Augustini haberi potest) Quæstio ista locum non habet. Manifestum est enim, quod existens in Gratia per Charitatem diligit Deum supra se ipsum: sed quia possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile est considerare ad quantum se dilectio naturalis extendere possit. Ex quo videas, pro comperto habuisse Doctorem Angelicum, Hominem in Statu Naturæ puræ conditum dilectione naturali dilecturum fuisse Deum suum.**

Mirari subit, quot hic choreas Baji, & Jansenius agant. Monstri pene instar habent eam Dilectionis distinctionem; quam & Scripturis, & Patribus, sacrilique Concilii repugnant non sine audaci supercilio nobis effutunt. Verum audaciam illam fregit, minaque supercilium compressit Sanctissimus Pontifex Pius V., qui inter septuagintaquinque Propositiones a se proscriptas istam notavit numero trigessimam secundam: *distinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor Naturæ, & gratiæ, quo Deus amatur ut Beatorum, vana est, & commentitia, ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis Veterum Testimonis excoquiata.* Similiter & istam numero trigessimam sextam: *Amor naturalis, qui ex viribus Naturæ exoritur, ex sola philosophia per relationem præ-*

presumptionis humane cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

Quantum porro ea Sanctissimi Pontificis damnatio in audaces illas Assertiones lata sacris Concilii Œcumenicis congruat, vel ex uno Tridentino omnium celeberrimo colligere licet. Quoties enim Spiritus S. inspirationem ad Deum diligendum necessariam definivit, toties id, adjecta veluti clausula, temperavit; nimirum, sicut oportet ad salutem; sicut oportet, ut Justificationis Gratia conferatur: satis ea loquendi ratione significans, alteram Dei, ut Naturæ Auctoris Dilectionem admitti, quæ nec sufficit ad salutem, nec satis illa sit, ut Justificationis Gratia conferatur. Ceterum, dum Amorem illum Dei naturalem appello, ea cautione id a me dictum intelligite, ut naturalis vociter alio, & alio titulo, pro varietate Statuum, & conditionum. Si de Statu Naturæ lapsus sermo fiat, naturalis vocitatur hic Amor ex parte Termini, non ex parte Principii; quia est eo Amore Auctori Naturæ diligatur, non satis tamen diligitur Naturæ viribus; cum ad Deum etiam uti Auctorem Naturæ diligendum in hoc corruptionis Statu divina Gratia sit opus, uti suo loco probabimus: si de Statu Naturæ puræ Quæstio vertatur, utroque ex Capite Dilectio naturalis dici potest; quia nondum eo in Statu faciatas Homo naturalis duntaxat concursus operis, aspirante Deo, Naturæ Auctori diligendo par esset. In sequentibus de Statu Naturæ puræ possibilitate, quatenus Legi mortis subdita est, Quæstio movebitur.

PRÆLECTIO III.

Immunitatem a morte, ceterisque Naturæ incommodis non adeo fuisse debitam Homini conditioni, ut absque illa Humanæ Deus condere nequisset, adversus Jansenium, & Bajam propugnatur.

Protoparentem, cum primum conditus fuit, immortalitatis Privilegio donatum esse, nemo potuit unquam aliqua veritatis specie diffiteri: Deus (inquit Sapiens cap. 2.) creavit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum. Irvidita autem Diaboli mors introivit in Orbem Terrarum: & cap. 1. prius dixerat: Deus mortem non fecit; nec letatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent, omnia: & sanabiles fecit Nationes Orbis Terrarum: & non est in illis medicamentum exterminii. . . . Justitia enim perpetua est, & immortalis. Impii autem manibus, & verbis accerserunt illam. Confirmat hoc idem verbis non admodum abfinitibus Paulus Apostolus ad Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.

Ac re ipsa id venturum Protoparenti comminatus Deus erat, si forte peccando Mandatum transgredere: in quacumque die comederis ex eo, morte morieris, Genes. 2. De doloribus, ægritudinibus, ærumnis idem omnino pronuntiandum; his scilicet Protoparentes fuisse prorsus immunes quando innocentes existerent. Ecurr enim, qui mortis Lege soluti erant, non ab iis quoque liberi fuissent, quæ non nisi mortis prædicia, apparitores, & satellites reputantur? Et certe dolores, ægritudines, aliaque id genus insana Naturæ tormenta non nisi ex peccato prodidisse, Scriptura non obsecure, sed aperte omnino significat, ubi in Havam, & Adamum pronuntiata a Deo Sententiam exhibet, postquam ambo, perpetrato facinore, a Conditoris suo refugio facti sunt: In dolore paries, inquit Hevæ: in sudore vultus tui vesceris pane, inquit Adamo, Genes. 3. Iis ergo ante peccatum soluti omnino erant; iisque nos ipsi

careremus, nisi per insaufam peccati januam in hunc Mundum intrasset; meritoque a Christiano Poeta dictum est:

Tunc primum profusus nullis obnoxia morbis
Corpora gestabant: & si Mandata supremi
Servassent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, & divos nescissent usque dolores.

Hinc Quæstio suboritur viris Theologis non utique contemnenda; num immortalitas illa, morborumque immunitas, quibus donatus fuerat Protoparens, ita Humanæ conditioni debita fuerint, ut sine iis Homo condi nequiverit? Insituti atque Propositi tenax Cornelius Jansenius, jactis Principii hærens, quo jure Gratiam sanctificantem Humanæ conditioni omnino debitam pronuntiavit; ita & immortalitatem, ejusque ceteras Appendices Homini primo debitas dixit; sic ut Deus crudelitatis argui eam posset, si Hominem mortis, morborumque Legi subditum condidisset.

Secus nos in præsentī Tractatione definimus: nec satis mirari possumus, virum, qui unum Augustinum Doctrinæ suæ ducem sequi, ac venerari proficitur, figmentum ab Augustino tam aperte, tam eleganter explosum admisisse. Quis habentur de Genes. ad lit. cap. 25. Post non mori . . . quod ei (Adamo) præstatur de ligno vitæ non de constitutione Naturæ . . . Mortalis ergo erat conditio corporis animalis; immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim non constitutione Naturæ, non conditione corporis animalis, sed uno Conditoris beneficio immortalis erat, quis non videat, rueret funditus totum illud, qualecumque sit, figmentum Jansenianum? Similiter Lib. 13. de Civit. Dei cap. 20. legimus: qui status (immortalitatis) eis (primis Parentibus) de ligno vitæ, quod in medio Paradiso cum arbore vitæ simul erat, mirabilis Dei Gratia præstatur. Si porro id Dei Gratia præstatur; non itaque ex Naturæ conditione debatur.

S. Augustinum doctrinæ ducem sequutus est Doctor Angelicus, ac pene totidem verbis exscripsit in 2. Sent. Dist. 19. Quæst. 1. artic. 4. Immortalitas illa, & impassibilitas (inquit Scholæ Princeps) quam homo habuit in primo Statu, non inerat sibi ex principii Naturæ, sed ex beneficio Conditoris. In quo porro beneficium hoc Conditoris situm esset, paucis quidem, sed efficacibus verbis exponit 1. Part. Quæst. 97. art. 1. Non enim, inquit, corpus ejus (primi hominis) erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat anime vis quadam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ob omni corruptione preservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset.

Neque vero necesse omnino est, alta Scripturarum, Patrumque Mytheria rimari, ut Janseniani hujusce Dogmatis falsitatem detegamus. Sat erit, Philosophia doce, Naturam Homini nosse. Quis etenim nesciat, Homini corpus pugnantis fecum Qualitatibus, & Humoribus compactum esse, omnium corporum animalium forte id postulant? Quæ demum pugna tandem aliquando evanescit, ut Qualitatem altera prævalente solvatur tota compages, Homoque pereat, nisi supremus Naturarum Conditor Deus adversus intestinum illud Qualitatum, Elementorumque diffidium singulari dono aliquo Hominem muniat. Providerat larga manu lignum vitæ condens, quo quando vellet vellet Homo, posset re ipsa non mori: sed erat hæc Largitas, & Benevolentia Conditoris, non conditio corporis animalis. Quis etenim sibi fingat, Deum ad plantandum vitæ Arborem aliqua

necessitate adactum esse? Aut forte cogente aliquo suos Angelos destinasse, qui Protoparentes nostros oppansa capitibus umbella tegerent? Absit. Quod id egerit, uni ejus Benevolentia deputandum est.

Quibus profecto Momentis adductum arbitror Sanctissimum Pontificem V. ut hanc ipsam ceteras inter Baji Propositiones proferberet, numero sexagesimam quartam: Immortalitas primi Homini non erat Gratia beneficium, sed naturalis conditio. Quæ damnatio cum Jansenio perspecta fuerit, mirari subit, hanc ab illo posthabitam fuisse, atque contemptam. Sed adeo apertus ei visus est Augustinus ad suum illud Figmentum adstruendum, ut Pontificis damnationem floci facere nullatenus dubitavit.

Quo itaque pacto id ex Augustino demonstrare sibi putaverit, perpendamus; & prolixam ejus objectionem ad limam vocemus. Favete quæso animi; nam & hoc ejus Argumentum ex Augustini Doctrina petitur difficillimum est, & valde prolixum.

S. Augustinus, inquit Jansenius, peccatum Originale adversus Pelagianos probaturus, potissimum ex ea moriendi necessitate, ceterarumque miseriæ hostili apparatu fundamentum repetebat; ut scilicet peccatum aliquod nobis inesse demonstraret, unde omnia ista originem ducerent: alioquin injustum fore Deum ostendebat, si nullo præexistente peccato, iis nos miseris perpetuo lacefferet; tamen illas nulla nostra culpa promeriti fuisset.

Quid ad hæc Pelagiani, ne peccatum Originale admittete cogentur, unde miseria illa sobolescerent? Reponant plane, iis nos miseris lacefferi, non in alicujus peccati Originalis poenam quod castigari mereretur; sed ælia omnino de causa, nimirum ut in injustis Hominiibus peccata actualia, propria voluntate perpetrata, castigarentur, in justis & Sanctis, ut Virtus hoc exercitio probaretur, & augetur, Verum præcludebat eis os doctissimus Augustinus Parvulorum Exemplo; in quibus non abfinit miseris reperiuntur; nec tamen in eis aut probari Virtus, aut propria Voluntatis peccata castigari ullo modo possunt. Sic certe Pelagianos retundit Augustinus Lib. 6. contra Julianum cap. 21. Vos autem negantes Originale peccatum, profecto aut cogemini dicere, Deum vel invalidum, vel injustum; sub cujus potestate imago ejus in parvulis sine ulla vel propria, vel originali peccati merito tantis affigitur malis; non enim per hæc exercetur virtus, quod recte de bonis Hominiibus dicitur, in quibus Rationis est usus. Sed & hoc quoque totum eludere Pelagiani nitebantur. Parvulos ista pati, reponant, nulla quidem vel castigandi peccati actualis, vel exercenda Virtutis causa; nec tamen esse Deum injustum, qui illos iis miseris afficeret prorsus immeritos; quia eis in altera vita compensationem aliquam reservabat, qua damnus hoc cumulatiflime resarciret. Sed & illud effugium Exemplo Parvulorum sine lavacro decedentium præcludit sanctissimus Doctor Epistol. 28. quæ ad Hieronymum data est. Quæ (inquit) circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper & damnatio preparata est? Sic ut illud Augustini in Pelagianos Argumentum steterit penitus inconcussum, nullaque subtilitate declinari potuerit, moriendi necessitatem, ceteraque hujus vitæ miseria ex peccati Originalis labe necessario sobolescere.

Ex hæc porro tota sanctissimi Doctoris in Pelagianos Concertatione ita colligit Jansenius in suæ Sententiæ præfatione: si verum est, quod Scholastici Theologi fabulantur, Hominem, nullo stante peccato mortalem, ceterisque miseris subditum a Deo creati potuisse; Humanæ Naturæ con-

ditionem, utpote animale, iis incommodis sine injuria subdi potuisse; unice Dei Bonitati, non autem Justitiæ deputandum esse, quod Hominem condiderit immortalem, cum secus posset agere summo jure; corrui tota illa Gratiæ Vindicis Disputatio, nulloque negotio exufflatur. Facile quippe foret Pelagianis brevi reponere, frustra ex illa, quam experimur, mortis, ceterarumque miseriarum necessitate peccatum Originale colligi, quod eorum omnium causa esse credatur; cum hæc Humanæ Naturæ conditio sit, ut & mori, & pati possit, nullo licet præcedente peccato, utpote quæ animalis est, sicut & alia; & pugnantis secum Qualitatibus compacta, quæ ejus interitum intestino diffiduo machinentur. Sic suam ille Causam agit toto Libro. 3. de Statu Naturæ puræ.

Deo nihilominus aspirante, Jansenio reponimus, totam illam Augustini adversus Pelagianos Disputationem, quæ peccatum Originale ex ea, quæ nobis inest, moriendi necessitate colligit, non ex ipsa per sese moriendi necessitate, aut ex Humanæ Naturæ secundum sese spectata conditione peti; quasi moriendi necessitas non nisi ex peccato suboriri possit; sed Humanam Naturam spectare, qualis secundum Divinarum Scripturarum Oracula primitus insituta est; Deique Fidem supponere primis Parentibus oppignoratam, qua nunquam illos moriturus sponderat, quando Divinis ejus Mandatis obsequerentur. Hæreticos enim exagibat sanctissimus Doctor, qui Sacrarum Scripturarum Libros agnoscebant; qui illarum Oracula venerantur; aut certe venerari se simulabant. Quare tota ejus in illos Argumentatio ad hanc fere formam revocari potest; Protoparentes immortales a Deo constituti sunt; ejusque supremi Conditor comminatus est, futurum, ut morerentur, si ejus Mandata transgredere rentur, ac sibi, nobisque peccarent: at jam factali nimis experimento probamus eam in nobis moriendi legem; nec solum in nobis Adultis, in quibus actualia peccata castigari possent; sed & in Parvulis ipsis, quibus nondum est Voluntatis usus: igitur Parvulis etiam inest peccatum aliquod; quod, cum propria Voluntate admittam non sit, ex vitiata origine traduci necesse est. En Augustini Argumentum invidium; at non ex ipsa per sese moriendi necessitate petitum est; quasi hæc ex peccato necessario progerminet, nec sine peccato esse potuerit, si ita Deo Hominem condere placuisset; sed ex moriendi necessitate suborta post conditum Hominem immortalem. Hinc Augustinus eo utens Argumento Scripturarum Testimonia toties appellat, quæ Hominem primitus inextinguibilem factum ajunt; quæ Deum mortem non fecisse monent; sed impiis illam manibus, verbisque accersisse; aliaque id genus, quæ Divinis in Litteris sæpius occurrunt. Cæterum non id obest, quominus ex ipsa sola animalis Naturæ conditione mors oriri in Homine potuisset, si illum congenita conditioni reliqueret Conditori libuisset.

Neque vero mirari subit, eam moriendi necessitatem poenæ loco reputari ab Augustino, quam nos nativam conditionem appellamus. Utroque siquidem nomine pro Statuum varietate nuncupari potest. Naturæ, inquam, conditio est; si res per sese, ac juxta animalis Naturæ Principia peritimus; poenæ est, si Privilegium, quo ab ipso Conditor donatus fuerat primus Homo, perpendamus. Ex quo etenim immortalitate, tamen minus debita, a suo Conditor donatus est dum primo conditus fuit, poenæ, & quidem gravissima, reputanda est moriendi necessitas consecuta: Si enim, aliquis propter culpam suam (inquit Do-

ator Angelicus 2. 2. *quest.* 164. *art.* 1.) *privetur aliquo beneficio sibi dato, carentia illius beneficii est poena culpe illius, quamquam poena locum non haberet, si nunquam illo donatus fuisset.*

Iis Responsis elisam opinor magnam illam Argumentorum struem, quibus ex Augustini in Pelagianos Concertatione nos Jansenius non tam impetere, quam obruere sibi videbatur. Vim tamen Causae suae non minimam addidisset ex Doctore Angelico, nisi ab ejus lectione peregrinus omnino fuisset. Enimvero (ut nihil omissem facerem) peccatum Originale aduersus Gentiles probaturus Doctorem Angelicum *Lib. 4. contra Gentes cap. 52.* hanc ipsam rationem usurpat ex moris necessitate, ceterisque miseris desumptam, perinde ac Augustinus contra Pelagianos quaestionem habens. At dum contra Gentiles disputat D. Thomas, totam Argumenti vim petit ex ipsa Humanae Naturae conditione spectata secundum sese; quasi ei repugnet, iis miseris innoxiam affligi absurdum quippe foret sibi fingere, eum Scripturae Oracula supposuisse, quibus Divina Revelatione novissimus, Hominem immortalitate sibi indubitatum esse; cum nihil apud Gentiles valeat Scripturarum Auctoritas. Sensit itaque Doctorem Angelicum, miseris istas Humanam Naturam secundum sese spectatae omnino repugnare.

Sed & hoc quoque obrutum telum est. Nec enim Doctorem Angelicum ad probandum contra Gentiles Fidei Dogma rationes naturales usurpare voluit, aut etiam potuit, quae demonstrationis vim obtinerent; sed quae probabilitatis titulo, ut ut maxime, fruerentur. Est enim illa Articulorum Fidei conditio, ut ratione naturali suaderi possint, demonstrari non possint, Jam, si ea Doctorem Angelicum ratio demonstrativa non est, non itaque constat ex Propositionibus necessariis, sed congruentibus solummodo; uti Dialecticae leges ferunt: ac propterea congruum quidem juxta D. Thomam reputari debet, ut mors, ceteraque Humanae Naturae miseriae in alicujus peccati poenam instigantur; non id tamen necessarium reputandum est, quasi nullo praesistente peccato iis subditi non possint Homo pro Naturae animalis congenita conditione. Proxima Tractatione Quaestionem resolvemus, quae agitari inter Theologos soleat de Statu Naturae purae, quatenus Concupiscentiam Rationi perduellem asserere dicitur.

PRÆLECTIO IV.

In Statu Naturae purae, si in eo Hominem condere Deo placuisse, nullam fuisse Concupiscentiam Rationi perduellem, statuitur.

Quaestionem aggredimur, in qua mutuo se cum diffidio pugnare cernimus Jansenii Adversarios. Communis hoste pene dimisso, in quem concordii consilio signa contulerant, fecum mutuo digladiantur, & pugnant. De Statu Naturae purae possibilitate certatur contra Jansenium, novum inter sese certamen ineunt, curiosius investigandum, num Humana Natura pura, seu Homo ipse naturali conditione relicto Concupiscentiae pugnam pateretur, atque ita num potuerit Deus Hominem in puris naturalibus condere cum Concupiscentia Rationi perduelli. Putant siquidem Aliqui, Concupiscentiam Rationi perduellem adeo esse Humanam Naturam contrariam, ut nonnisi ex peccato oriri possit, ac subolescere; hocque praeritum Doctorem Angelicum Testimonio arguntur 1. 2. *quest.* 82. *art.* 3. *ad 1.* *agentis; in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum Rationis ordinem. Concupiscentia autem, quae transcendit limites Rationis, inest ho-*

mini contra Naturam. Hincque colligant, Hominem in Statu Naturae purae conditum, in quo nempe nihil aut supra, aut contra Naturam haberet, Concupiscentiam Rationi perduellem nullatenus habiturum. Alii e regione postea Concupiscentiam esse Humanam Naturam defectum ex ipsa sui conditione ingenitum dicunt, uti rubiginem ferro; quia cum Homo contrariis partibus constet, rationali videlicet, & animali, ista in alteram naturaliter pugnat, tametsi nunquam eo in Statu Naturae purae Superiorem Inferior vinceret: quod in Natura lapsa ob contractam ex Originali peccato Partis superioris infirmitatem pierumque contingit, nisi potentissimam ferat opem Gratia Salvatoris.

Stant pro utraque magni nominis Theologi, atque etiam D. Thomae Discipuli tenacissimi, qui sanctissimi Doctoris mentem hinc inde pro studio sectantur. Pro prima litant Guillelmus Estius, Regius olim in Academia Lovanienfi Professor, Thomas de Lemos, Contensonius, Natalis Alexander, meos quondam alias in facultate Parisiensi Magister, ac studiosiorum Moderator; cuius celeberrimum nomen nunquam sine magna laudibus proferre soleo. Litant ex altera ceteri pene omnes, Goneto suffragatore, & adstipulatore. Haesi, ut fatear quod res est, haesi diu, quam in partem abirem; parumque absit, ut Concupiscentiam perduellem cum Statu Naturae purae stare posse propugnarem; ita tamen, ut perduellem Concupiscentiam Naturae lapsae, qualem nunc experimur, longe crudeliorum, ac multo magis esse simul adstruerem. At alterius demum Sententiae fundamentis victus in eam omnino propendi; quam & Augustini menti, & Angelici Doctoris Principis consonam magis existimaui. Quare cum Estio, aliique magni nominis Theologis superius a me appellatis firmiter statuo, in Statu Naturae purae, in quo videlicet conditus esset Homo sine peccato, & sine Gratia, nullam fore Concupiscentiam Rationi perduellem.

Et certe quid Status Naturae purae nomine intelligimus in ista, quae nunc agitur, Controversia? Profecto nihil aliud, nisi Status, in quo haberet Homo quidquid Naturae Humanae debetum est; nihilque aut supra, aut contra Naturam experiretur. Quis dicat, Concupiscentiam Rationi perduellem non esse contra Naturam Hominis? Quanquam enim duabus partibus coalescat, rationali scilicet, & animali; naturalis tamen ordo postulat, ut animalis rationali subdatur, uti subditus superiori; alias si rebellet in eam, ipsa Natura Lex violatur. Id brevi complexus est Doctorem Angelicum 1. 2. *quest.* 82. *art.* 3. *ad 1.* *Quia in homine, inquit, concupiscibilis naturaliter regitur Ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum Rationis ordinem. Concupiscentia autem, quae transcendit limites Rationis, inest homini contra naturam. Quo Momento elisam videas Adversariorum tritam Argumentam; qui, ut Concupiscentiam Rationi perduellem Humanam Naturam consentaneam probent, eo maxime nituntur Argumento, quod duabus inter se contrariis partibus constet Homo; carnali scilicet ac spiritali; adeoque nihil mirum esse ajunt, si una naturaliter pugnet in alteram; eum Caro seu concupiscibilis Appetitus id habeat naturaliter, ut tendat in delectabile secundum sensum. Id, inquam, elisum est: quantum enim contrariis partibus constet; harum tamen una ex naturali conditione subditur alteri; atque idcirco nulla ex ea contrarietate oritur pugna, nisi Naturalis ordo solvatur. Quapropter concupiscibilis Appetitus naturaliter quidem ten-*

dit in delectabile secundum sensum; sed tamen secundum dictamen Rationis: quo pacto non censetur Concupiscentia perduellis, sed regulata Ratione. Audi Doctorem Angelicum in 2. *Sent. Distinct.* 30. *quest.* 1. *art.* 1. *ad 4.* *Vis concupiscibilis naturaliter habet hoc, ut in delectabile secundum sensum tendat: sed secundum quod est Vis concupiscibilis humana, habet ulterius, ut tendat in suum obiectum secundum regimen Rationis. Vultis aliquid explicatius? Audite quid rursus habeat *Quest.* 4. *de malo art.* 2. *ad 1.* *dicendum quod aliquid potest esse naturale homini dupliciter. Uno modo in quantum est animal; & sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile sensum secundum ordinem Rationis. Concupiscentia ergo, per quam prona est vis concupiscibilis, ut feratur in delectabile sensum praeter ordinem Rationis, est contra naturam hominis in quantum est homo: & ita pertinet ad peccatum Originale. Quid, amabo, luceatius, quid efficacius?**

Quod usque adeo verum est, ut ipsi quoque Gentiles Philosophi Platonici ex ea, quam experiebantur in fementibus Concupiscentiae pugna contra Rationem, interuenirent, inesse quoddam Humanam Naturae vitium, fatali aliquo casu confectum; quo naturalis ordo solutus esset: tametsi, ut erant luminae Fidei desitit, id ex Originali peccato consecutum esse, penitus ignorarent.

Sed attendite quid reponant, ut eo se laqueo liberent Recentiores. Appetitum concupiscibilem Rationi quidem naturaliter subditum fatentur; non ita tamen, ut naturaliter rebellare non possit; sed ita solam, ut naturaliter non vincat, & superet: sic Homini in Statu Naturae purae constituto Concupiscentiam esse instam putant; ita tamen, ut Ratio ingenito sibi robore perduellionem ejus superaret. Verum hoc ipsum ex diametro occupavit D. Augustinus: nam Pelagianos eisdem arguitas infestatus est *Lib. 5. contra Jul. cap. 7.* *mala tamen est (Concupiscentia) & quando non ceditur; quia malo resistitur, ne bonum Castitatis intreat, si huic malo non resistatur: & Lib. 6. cap. 15. quis autem ita sit impudens, atque impudens, ita procerax, peritax, pericax; ita postremo insanus & domens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malam Concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscere spiritu, peccata concipere, & parere, non sinatur? Non itaque servando naturali ordini satis est, si Spiritus pugnantem Concupiscentiam vincat; sed hoc ipsum magnum contra Naturam malum est, quod haec in Spiritum pugnet, ac reluctetur: quod certe solvendo naturali ordini sufficit. Ponamus rem in Exemplo, videamusque, quam frivola sit ea Recentiorum evasio. Principi su jectus est Subditus, miles Ducis, Domino subules: quis porro sibi unquam fingat, debitas subjectionis leges servatum iri, si Subditus in Principem, miles in Ducem, in Dominum famulus petulantur infurgerent; quamquam ita arreptis statim armis perduellium impetus superarent? Sola ipsa perduellio malum est; sola illa debita obedientiae jura subruit. Idem plane de Concupiscentia pronuntiandum. Vis Exemplum aliud ex Augustino petim? In promptu est *Lib. 1. cap. 9. de Nupt. & Concup.* ubi veluti in Exemplum profert naturalem foeminae ad Virum subjectionem: *Nec dubitari, inquit, potest, naturali ordine Virus potius feminis, quam Viris feminas principari. Quod servans Apostolus ait: Caput Mulieris Vir: & Mulieris subditae est.**

Serry Tom. IV.

te Viris vestris. Jam quare ego: stare ne ordo naturali Lege constitutus, si Mulier in Virum infurgeret, quamquam ille viribus forte superior, aut etiam arrepto baculo Mulierem sub jugum mitteret? Quis ergo, nisi plane desipiat, servatam iri naturalem ordinem fabelatur, si sensibilibus Appetitus in rationalem infurgat, quamquam hic ingenito sibi robore reluctantem sub jugo poneret? Fatendum itaque, solam ipsam Concupiscentiae perduellionem malam esse; peccatum non dico; sed malam; indito Naturae ordini adversam; conditioni Hominis repugnantem; tametsi, ut loquitur Augustinus, repugnantem Spiritu peccata concipere, & parere, non sinatur.

Nunc si Patres Controversiae Judices appellamus, res patebit ipsa per se. Patrum enim, ac Theologorum communis assertio est, quatuor esse Naturae vulnera ex Originali peccato confecta: Ignorantiam in Intellectu; Ignorantiam dico non simplicis negationis, ut Scholastici loquuntur, sed pravae dispositionis, de qua ait saepius Augustinus: *approbare falsa pro veris non est Natura institui hominis, sed poena damnati: Malitiam in voluntate: Infirmitatem in Appetitu irascibili: Concupiscentiam esse in Appetitu concupiscibili. De hoc ultimo vulnere ita decrevit S. Fulgentius *Lib. de Incarn. cap. 13.* loquens de Adamo; *expoliatus, inquit, vestimento Fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, . . . Hoc in illo, qui primus factus est, Patre Orbis Terrarum Universi perulimus, in quo omnes peccaverunt antequam nati essent, qui per se ipsos peccare non potuerunt. At quis Concupiscentiam esse Humanam Naturae vulnus jure dixerit, si Natura etiam non vulnerata, non laesa, sed pura propria esse possit, ac nativa etiam Hominis conditio reputanda esset? Vulneris quippe nomine nihil aliud venit in mentem, quam quidpiam Naturae contra Naturam ipsam infixum, debitam constitutionem laedens, malum infrens, nativam compagem discissans: quae omnia rei naturaliter congenitae minus congruunt.**

Erit fortasse qui dicat, Concupiscentiam esse Humanam idcirco nunc Naturae vulnus nuncupari, tametsi nativae conditioni debita esset, quia sine illa ex singulari Dei Gratia conditus Homo fuerat, nec nisi subsecuto Adae peccato pullulavit. Verum fiantur oppido, quid id effutiant? Poena quidem nomine nuncupari possit, si ita se res habuisset; vulnus appellari non possit, nisi ipsam vulneris ideam prorsus immutaret velimus. Rem experimur Exemplo: Mortalitas erat Humanae Conditioni congenita, utpote ex contrariis Qualitatibus, & Elementis compacta; nec nisi Divina Largitate effectum erat, ut immortalis conderetur, juxta illud Augustini celebratum estatum *Lib. 6. de Genesi ad lit. cap. 25.* *mortalis erat conditio corporis animalis, immortalis beneficium Conditoris. Quid fabinde factum? Consecuto peccato eo recidit Homo, ut mortalis esset; morsque ea de causa poena peccati dicta est. Nemo tamen fuit unquam, qui eam moriendi necessitatem vulnus Hominis appellaret. Sic ergo, si Concupiscentia perduellis Humanam Conditioni congenita esset, nec nisi Divina Largitate effectum fuisset, ut sine ea conderetur; ex quo tamen consecuto peccato Concupiscentiae perduellio progerminasset, poena quidem nomine vocitari posset, non tamen vulnus dicenda foret.*

Gravia sunt haec, Viri Theologi; sed sient eorum, quae ex Augustino prolaturus sum, comparatione levissima. Selectiora Testimonia desorabo, ne si forte singula referre velim, satis nobis temporis non supererit.

M

Au-

Augustiniana Doctrina Principium est, inclinationem ad malum naturalem Homini esse non posse. Pro eo contra Manichæos strenue pugnavit SS. Doctor Lib. de duobus Animabus; alias enim Homo natura sua malus esset, quod ii tam impie, quam falso criminabantur. Porro Concupiscentia perduellis Hominem ad malum inclinatur, quocumque in statu fingatur esse, cum illum in delectabile secundum sensum contra Rationis dictamen impellat: Homini ergo naturalis esse non potest, sed ex peccato Originali duntaxat fatali quadam necessitate originem ducit. Hinc illa frequens apud Augustinum Sententia ab ipsa Synodo Tridentina consecrata, & in suos Canones translata: *Concupiscentia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur.*

Alterum nihil minus celebre est Augustiniana Doctrina Principium; nullam videlicet sine malo pugnam reperiri posse: quando enim pugnatur (inquit ille Lib. 5. contra Julianum cap. 7.) aut bonum pugnat, & malum, aut malum & malum; aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnam malum. Hinc Julianum Concupiscentiam effrenam uti Humanæ Naturæ affectionem strenue commendantem his verbis exagitat Sanctissimus Doctor Lib. 3. cap. 21. contra Julian, si malum est (Concupiscentia) cur laudat? Si bonum est, cur expugnat? Si autem nec bonum, nec malum est, ut quid laudat? Ut quid expugnat? Quamvis igitur expugnator libidinis eris, tandem pro me contra te ipsum judex eris. Neque vero reponere juvat, hæc de Concupiscentia perduelli Naturæ lapsæ ab Augustino dicta esse. De Concupiscentia siquidem perduelli ex ipsa per sese perduellionis conditione certissime disputat. Id ejus ratio sine controversia demonstrat. Nullum siquidem bonum, quovis in statu questionem ponas, alteri bono naturaliter repugnat. Imo vero, cum idcirco contra Pelagianos demonstraret, admittendum esse peccatum Originale, cui veluti causæ Concupiscentia perduellis adscribitur, pro certo supponit, eam non nisi ex peccato sobolescere posse: alias nihil in illos evinceret hoc Argumento, quod sæpius in illos contorquet; ac præsertim in Libris contra Julianum Pelagianum elaboratis: imo supponeret, quod ipsi probandum erat.

Accedit tertium pari constantia, rationumque pondere confirmatum clarissimi Gratiæ Vindicis Fundamentum; scelus esse de Dei Conditoris operibus erubescere; ac de altero, quam de vitio, aut de pena propter vitium nobis imposita pudore suffundi: quid ingratus (inquit Lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 9.) quid irreligiosus, si in membris nostris non de vitio, vel de pena nostra, sed de Dei confunderetur operibus? Suadet hoc ipsum explicatissima ratio: de bono enim nullatenus erubescimus: Opera Domini universis bona valde; Ecclesiastic. cap. 39. Porro quis ita sit imprudens, ut & de Concupiscentia perduelli, & de Concupiscentiæ moribus non erubescat? Quis aliquo saltem pudore, ubi eam perduellionem perleatit, non suffundatur? Hanc igitur malam, & ex peccato consecutam fateri omnino necesse est. Consecutionem explicatissimis verbis intulit S. Doctor Lib. 1. ad Bonifacium cap. 16.: itaque sua culpa sibi accidens malum Natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut, quod est impudensissimum, de his suis moribus non erubescere, aut, quod est ingratisimum, de sui Creatoris operibus erubescere.

Coronidem imponet institutum ab eodem Divinæ Gratiæ Defensore discrimen inter belluarum Concupiscentiam, & Hominum. Priorem siquidem malam non esse idcirco probat, quia

contra Rationem (qua belluæ destituuntur) minime pugnat: ista e contrario. Ita certe definit ille Lib. 4. contra Jul. cap. 5. Hincque etiam Humanæ Naturæ supra bruta animalia dignitatem colligit Lib. de peccato Originali cap. 40. inquit: comparatur namque (nimirum Homo peccatoribus) per vitium, non per naturam; non peccatoris vitio, sed nature. Tanto namque excellentia est in comparatione peccatoris homo, ut vitium hominis natura sit peccatoris. Non igitur Humanæ Naturæ conditio æstimanda est. Concupiscentia perduellis, sed vitium; quo in Brutorum fortem suæ veluti dignitatis oblitus præceps labitur. Neque hic valent trita illa recentiorum quorundam Theologorum distinctiuncule, quibus Concupiscentiam effrenam non in Natura quidem lapsæ, sed pura congenitam Hominis conditionem futuram arguunt. Id enim si velint, fateantur omnino necesse est, nihil Hominem nudum, ac purum a bruto Animalium distinctum iri: quod quam vanum, absonumque sit, nemo non videt.

Audiendum nunc, & ad trutinam revocandum, quid ipsi ad suam illud Dogma adstruendam afferre soleant. Verum quia plura illa sunt, quam ut uno alterove saltu proferri, librarique possint, in sequentibus mittimus pettractanda.

PRÆLECTIO V.

Objectiones contra præcedentem Assertionem diluuntur.

Concupiscentiam effrenam, ac rationi perduellam humanæ Naturæ conditioni contrariam esse, satis opinor in antehabitis demonstravimus. Hanc non hominis fortem ingenitam esse, sed labem ex Protoparentis inobedientia derivatam, qua naturalis ordo dissolvitur, multis asserimus Argumentis; ut evinceremus, Hominem in Statu Naturæ puræ, si in eo forte conditus fuisset, nullam hujusmodi rationi perduellam Concupiscentiam perferentur. Restat, ut in præsentia ad diluenda Theologorum aliter sententium Argumenta vocem, & animum convertamus.

Primam ex Pii V. Diplomate adversus Michaellem Bajum lato aciem instruant. In eo quippe Propositionem istam numero vigesimam sextam damnatam observant: *Integritas primæ creationis non fuit indebita Nature humane exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Jam si hæc Assertio proscripta est, inquit, oppositum igitur statuendum omnino venit; Integritatem videlicet illam, quacum conditus est primus Homo, humanæ Naturæ profusus indebitam exitisse. Nos totum id ultra damus: sed quid inde colligant, plane nescimus. Fuerit Integritas, cum qua conditus est primus Homo, humanæ Naturæ profusus indebita, bene est: at perperam inde colligant, subjectionem Appetitus concupiscibilis ad Rationem esse etiam indebitam. Plura enim secum assert primæ conditionis Integritas ultra eam subjectionem, de qua sermo nobis est in præsentia; ratione quorum indebita fuerit; modum scilicet, perfectionemque a Gratia sanctificante prodeuntem. Nos de sola Appetitus concupiscibilis subjectione nude spectata sermonem institimus; hancque unam humanæ conditioni debitam dicimus; nec nisi Protoparentis peccato lesam, violatamque contendimus.

Adam etiam, nec addidisse pigebit ad Virorum eruditorum animos fatiandos, ex Propositionibus septuaginta sex sub nomine Michaelis Baji a S. Pio V. damnatis nonnullas esse, quæ in rigore, & in proprio verborum sensu ab Assertori-

bus intento aliquo pacto propugnari valent; nec alia ratione ab Apostolica Sede proscriptæ sunt, quam quia finitro sensu accipi, aut ingenere quædam possunt. Fuit ea de re quondam alias gravissima Controversia hinc inde concitatis animis agitata; quæ nostris demum temporibus eliquata est: de qua hic breviter dicere nec injucundum erit, nec ab instituta Questione penitus alienum. Pius V. Pontifex sanctissimus septuaginta sex Propositiones a Michaelle Bajo, aliisque, ut fama ferebat, Theologis Lovaniensibus assertas Apostolico Diplomate damnatas, eas totidem verubus ex integro statim exhibet: tum demum ita subdit: *quas quidem sententias . . . quamquam nonnullas aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento . . . damnamus circumscriptibus & abolemus; circumscriptibus, abolemus: atque ita Baji, aliorumque Assertorum proprium sensum a Pontifice absolutum dicebant, totamque damnationem in alios peregrinos sensus vertebant. E contrario, qui Bajum insectabantur, virgulas præponebant, ut sensum Diplomatis inverterent; atque ita legebat anteposita virgula: quas quidem sententias . . . quamquam nonnullas aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, damnamus, circumscriptibus, abolemus: eoque pacto Pontificiam damnationem in ipsum proprium verborum sensum ab Assertoribus intantum referebant. Hinc orta illi magna; vulgari pro utraque tuenda parte Libri etiam admodum spissi: testes Pontificiæ mentis allegabant utrique; prout studio partium ferebantur. Pontificem Diplomati auctorem consulere nemo poterat, ut legitimum sensum exponeret, cum is jam fato cessisset, dum ab Successore, Gregorio scilicet XIII. Diploma vulgatum est. Ex ipsa vero autographi Diplomatis lectione difficultas eliquari non poterat, cum illud antiquo Romanorum more sine punctis, ac virgulis scriptum esset. Quid ergo? Centum, ac triginta circiter annis lis illi magna eruditorum Virorum torfit ingenia; donec fortuito casu certa documenta inventa sunt, quæ germanum Diplomatis sensum in aperto ponunt; planumque faciunt, Pontificem Maximum proprium verborum sensum ab Assertoribus intantum (in nonnullis saltem Propositionibus) illæsum penitus reliquisse. Inventa sunt enim ante duos duntaxat annos autographa Epistolæ Cardinalis Granvillei, & Maximiliani Morillon Episcopi Tornacensis, qui totum illud damnationis in Bajum latæ negotium apud Apostolicam Sedem pettractarunt, Bajumque ad parendum Pontifici Diplomati piis officiis adduxerunt. Ex his porro jam confecta res est: sic enim legimus in Epistola Cardinalis Granvillei, cum qua Breve Pontificium Lovanium transmissum est sub data 13. Novemb. 1567.: *declaramus (par la Bulle de N. S. le Pape) les dites Propositions amouées, aucunes erronees, autres suspectes, autres scandaleuses; AUTRES J'AYOIT SE PVISSENT EN RIGVEUR INTERPRETER EN QUELQUE SENS pour les excuser, donnent toujours offense à gens pieux qui les lisent.* Hoc est: *declamando (ex Bulla Domini nostri Papa) distas Propositiones notatas, alias erroneas, alias sus-**

pectas, alias scandaloas, alias, tametsi possint in rigore exponi in aliquo sensu, ut excusentur, possent tamen offendiculo piis auribus esse. Morillonius vero in Rescripto dato die 20. Junii 1569. notat, Bajum ad ejurandas Propositiones adduci non potuisse, nisi Pontificum Diploma legeret, propterea quod in eo distincte notatum esset, *Propositiones aliquas sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu.* Non est ergo cur nunc de Pontifici Diplomatis sensu amplius litigeret; ex quo tam apertis Documentis eliquata res est. Sed ad Institutum, unde paulisper divertit Oratio, redeamus.

Alio nos ariete pulsant adversæ Sententiæ Vindices; variaque congerunt Augustini, ac Doctoris Angelici Testimonia, e quibus duo hæc eruuntur: primum, subjectionem virium inferiorum ad Rationem in Protoparente naturalem non fuisse: alterum, eam inferiorum Partium obedientiam non nisi ex Gratia Sanctificante procedente: *Gratia quippe Dei magna ibi erat (inquit Augustinus Lib. 4. contra Julianum cap. 16.) ubi terrenum, & animale corpus bestiale libidinem non habebat. Quia ergo vestitus Gratia non habebat in nudo corpore quod punderet, spoliatus gratia sensit quod operiri deberet. Si Gratia erat, non igitur naturalis. In eundem sensum Doctor Angelicus 1. p. q. 95. artic. 1.: manifestum est, (inquit) quod illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad Rationem non erat naturalis. Et post pauca: per Gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur. Rursus quest. 4. de malo art. 1.: est autem considerandum, quod primo Homini in sua institutione datum fuerat divinitus quoddam supernaturale donum scilicet Originalis Justitia, per quam Ratio subdebatur Deo, & inferiores vires Rationi, & corpus anima: aliaque id genus D. Thomæ Testimonia, quæ hoc ipsum iidem, aut aliis consimilibus verbis adstruunt.*

Ego quidem vix rictum cohibere possum, dum hæc ab eis tanto studio congeri video, quibus nisi aerem verberant; venique mihi statim in mentem, quod de nonnullis a Poeta dictam est olim: *magna peragunt sedulitate nihil.* Quid enim si sexcentis Patrum Testimoniis evincant, subjectionem virium ad Rationem, qualis in Adamo cernebatur, non a Natura fluxisse, sed a Gratia germinasse? An ideo illico colligendum, nullam Partis inferioris obedientiam esse posse Naturæ debitam, quæ ex ipsi humanæ conditionis principis fluat? Absit. Longe enim disparis fortis erat illa, qua primus ille hominum Parens fruebatur, erat illa longe pacator, quietior, suavior, religiosior; nec idcirco mirandum, si supra Naturæ fortem altius posita ex Originali Gratia sobolesceret. Nos alterius generis, fortisque admodum inferioris obedientiam humanæ Naturæ debitam propugnamus; illam scilicet, qua indito Naturæ sensu inferiora superioribus parent, eorumque nutu sine lucta, sine pugna reguntur; tametsi iis privilegiis, dotibusque destitutam, quibus Protoparentes cumulatisime fruebatur.

Id ut facilius intelligat studiosa Juventus, distinguat necesse est in hac ipsa subjectione Partium inferiorum ad Rationem, qualis reperiebatur in Adamo, distinguat, inquam, necesse est, quod ad ejus veluti substantiam generaliter attinebat, & quod ad ejus perfectionem, ac modum specialiter spectabat. Substantia subjectionis nihil aliud præferebat, quam nudum, ac simplex Partis inferioris obsequium ad superiorem; quo fieret, ut nihil appeteret, nisi juxta dictamen Rationis: istudque obsequium ex nativa humanæ Naturæ nondum vitiatæ constitutione sobolescebat. Per-

fectio autem, modusque subjectionis addebat suavitatem quamdam, delectationemque, qua Pars inferior superiori obsequabatur, quasi in hac ipsa subjectione complacens sibi, atque delicias faciens; idque ex Gratia illa sanctificante virtutem, cumulatissimaque oboriebatur, quæ uti Mentem Adami perfecte subieciat Deo, eaque ratione Iustitiam Originalem parturiebat; ita quoque Partem inferiorem perfundeat; ut, quod illa naturaliter superiori Parti præstabat obsequium, delectabiliter, suaviterque præstaret; eoque patto Gratia sanctificans plenam, cumulatissimamque Integritatem efficiebat. Quare mutant quadrata rotundis, qui, quod ab Augustino, & a Doctore Angelico de perfectione subjectionis in Adamo dictum est, ad ipsam subjectionis substantiam minus congrue detorquet. Nihil quippe repugnat, subjectionem uno titulo, & quidem naturali, natam, altero titulo, & quidem supernaturali, perfecti, atque compleri. Quandoquidem autem, iudice Augustino Lib. 1. de Nuptiis, & Concup. cap. 9., in exemplum Concupiscentiæ, facta est Mulier naturaliter subdita Viro, totum, quod hæcenus de Concupiscentia dictum est, Exemplo mulieris plauum faciam, ac apertissimum. Ponamus itaque Mulierem Viro junctam: hæc certe naturaliter Viro subiecta est: At, si ad Apostoli Præceptum attendamus Epist. ad Ephes. cap. 5. dicentis: mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie; tunc novo, eoque nobilitiori titulo subiectio illa firmatur, atque perficitur; quatenus scilicet ex Præcepto sobolescit, cum antea in Natura duntaxat fundaretur; modumque perfectiorem ex supernaturali ratione (Apostolici videlicet Mandati auctoritate) acquirit. Ita pariter de Concupiscentiæ ad Rationem subiectione sentiendum; quæ & a Natura esse, & a Gratia potuit, servato quidem utriusque discrimine; a Natura quoad substantiam; a Gratia vero quoad modum, & perfectionem.

Unum est, quod quadam veritatis specie reponere possint; quodque difficultatem aliquam videretur præferre; quorum enim Adamo peccante non remansit, quoad substantiam saltem, ea Partis inferioris ad superioriorem subiectio, si quidem quoad substantiam naturalis erat, juxta vulgatum illud Doctores Angelici Principium ex Dionysio (ut putavit) Areopagita petitum, quod data naturalia etiam in Demonibus post peccatum permanserunt? Ita quippe statuit D. Thomas 1. part. quest. 95. art. 1., & alibi sæpius. Cum enim post Adami peccatum quæcumque Partium inferiorum subiectio, etiam quoad nudam substantiam spectata, sublata sit; nec modo largis illis, magnisque Charismatibus destitutus fuerit primus Homo; sed omnis vel minima Appetitus sensitivi obedientia evanuerit admissio peccato; consequens videri posset, nec minimam quidem Partium inferiorum obedientiam inter naturalia dona humane conditioni debita reputari posse.

Verum tantum abest, ut id adversæ Parti aliquatenus faveret, quin potius nocet magis: si nempe noverint, naturalia illa bona, quæ etiam admissio peccato integra in Homine remanserunt, non alia esse, nisi Naturam ipsam, proprietates, ac facultates naturales secundum esse physicum; nequaquam vero Inclinationes naturales ad Virtutem; quo in ordine reponenda venit subiectio illa naturalis Partium inferiorum ad Rationem. In istis quippe bonis aliquid mortalitatis præferentibus Naturam ipsam Originali peccato læsam, fauciata, vulneratam esse sexcentis plus minus locis affirmat Doctor Angelicus; nosque sequen-

tibus Exercitationibus academicis propugnabimus, non uti rem opinione liberam, sed uti orthodoxæ de Originali peccato Fidei Summam adversus Pelagianos ab Augustino, & Conciliis Africanis explicatissimis Sanctionibus confirmatam. Interim dicam hic tantum, quod retundenda Adversariorum Argutiæ sit satis. Et certe 1. 2. quest. 85. art. 1. questionem instituens D. Thomas, an peccatum Originale minuerit Naturam bonum, ita scribit: bonum Naturæ humane potest tripliciter dici. Primo; ipsa principia Naturæ, ex quibus ipsa Natura constituitur; & proprietates ex his causate, sicut potentia anime, & alia hujusmodi. Secundo, quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem, ut supra habitum est, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum Naturæ. Tertio modo potest dici bonum Naturæ donum Originalis Iustitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti Naturæ humane. Primum igitur bonum Naturæ (nempe principia naturalia, & potentia.) nec tollitur, nec diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum Naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi Parentis. Sed medium bonum Naturæ, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum. Quam itaque procul abfunt a Doctore Angelico, qui subiectionem illam Partis inferioris ad superioriorem post peccatum integram remansuram fuisse dicunt, si fuisset Homini naturalis? Cam e contra hujusmodi naturalia bona Originali peccato læsa, ac violata fuisse doceat, nec de eis intelligendum velit, vulgatum illud effatum Dionysio adscriptum: dona naturalia in Demonibus, & hominibus integra remanserunt. Sed quid ultra ludimus operam? Hoc ipsum, quod nobis obrudunt, Argumentum obvium sibi facit, ac solvit Doctor Angelicus Articulo supra laudato: ex Dionysio, inquit in objectionem prima, bona naturalia in Demonibus manent integra post peccatum; ergo peccatum etiam bonum Naturæ humane non diminuit. Audite vero quid reponat: ad primum dicendum, quod Dionysio sequitur de bono primo Naturæ, quod est esse, vivere, & intelligere, ut patet ejus verba inveniunt. Hoc igitur duntaxat bonum Naturæ mansit integrum post peccatum, hoc unum, hoc solum; non illud, de quo nunc controversetur ad genus moris atinens; subiectio scilicet Partis inferioris ad Rationem; quæ licet inter naturalia, seu rationalia Naturæ debita bona reputanda sit, succedente nihilominus Adæ peccato violata est, læsa est, fauciata est, Exemplo Evangelicis Samaritanis venientis ab Jerusalem in Hierico, quem Iatro nes non modo despoliaverunt, sed plagis impositis fetivivum reliquerunt. Sed de his plura dicemus loco suo.

Restat perdifficilis D. Thomæ locus, qui mihi, ut fatear quod res est, negotium aliquod accessit. Extat in 2. Sent. dist. 31. quest. 1. art. 2. ad 3., ubi hæc habet: Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terre formare, quem in conditione sue Naturæ relinqueret, ut scilicet mortalitatis, & passibilis esset, & pugnam Concupiscentiæ ad Rationem sentiens, in quo nihil humane Naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis Naturæ consequitur. Quo loco duo docet Sanctissimus Doctor, quæ statuta Assertioni aperte repugnare videntur: primum, possibile Deo fuisse, ut Hominem conderet cum pugna Concupiscentiæ contra Rationem; alterum, nihil tunc Naturæ humane derogatum iri, quia ea Concupiscentiæ perduellio ex humane Naturæ principiis sponte fluit.

Verum, nisi Doctorem Angelicum sibi metipsum repugnasse velint, qui id obijciunt, coguntur & ipsi commodum aliquod interpretamentum iis verbis affuere. Quo pacto enim conciliari ea poterunt

runt cum statuto toties ab illo principio isto naturali, quod & ipsa Gentilium Philosophia perspectum habuit, Concupiscere in tantum est homini naturale, in quantum est secundum Rationis ordinem; Concupiscentia autem, quæ transgreditur limites Rationis, inest homini contra Naturam?

Quid ergo objecto Testimonio reponendum? Inquiet fortasse aliqui, Doctorem Angelicum ita, dum junior esset, locutum fuisse; in Sententiis enim, unde petitur locus objectus, dum junior erat, scripsisse; cæterum oppositum in Summa docuisse, dum scriberet senior. At in nodum disrumpunt, non solvunt: in Theologicis vero Concertationibus non idem profecto est disrumpere, ac dissolvere: maxime cum ex ipsis etiam Sententiarum Libris non levia petierimus Testimonia, quibus Concupiscentiam efrænam humane Naturæ conditioni repugnare demonstravimus. Quare dicendum, juxta Doctorem Angelicum, Hominem bifariam spectari posse: primo, secundum conditionem duntaxat animalem; ac tunc quidem cæterorum Animalium forte inordinatam Concupiscentiam uti animalis Naturæ portionem concepseret, ut objecto in loco docet: secundo, spectari Homo potest integra, ut ita dicam, consideratione juxta conditionem rationalis Naturæ, quam propriam fortitur: & quidem secundum istam Concupiscentiam perduellis labe est, quæ animalis duntaxat conditionis Naturæ foret, juxta illud Augustini celebratum Oraculum, tanta namque excellentie est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris, Lib. de peccat. originali cap. 40.

Cæterum ne quis sibi putet, eam nos duplicem Hominis considerationem pro arbitrio comminisci, ut perdifficile Testimonium Doctoris Angelici non tam exponamus, quam declinemus, audite quod Quest. 4. de malo art. 2. ad 1. ad hoc Institutum dixerit: dicendum (verba sunt ejus) quod aliquid potest esse naturale homini dupliciter: uno modo in quantum est animal, & sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile secundum sensum, communiter loquendo. Alio modo in quantum est homo, id est, animal rationale; & sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile sensus secundum ordinem

Rationis. En plane distinctionem a me datam; nec quidquam explicatius a Doctore Angelico desiderare potuissim, quo datum a me interpretamentum ex ipsa ejus Doctrina petium ostenderem adversus recentiores illos Thomistas, qui totum Sententiæ suæ robur ex objecto illo Testimonio repetunt. Vultis aliud ad mensuræ cumulum? Dabimus larga manu petium ex Lib. 4. contra Gentes cap. 52.; ubi postquam dari peccatum Originale demonstrasset Doctor Angelicus, quod efrænis hujusce, quam experimur, Concupiscentiæ radix esset, hanc sibi ex Adversantium parte objectionem obviam facit: posset tamen aliquis dicere, hujusmodi defectus tam corporales, quam spirituales non esse pœnales, sed naturales defectus ex necessitate materiae consequentes. Necessi est enim, corpus humanum, cum sit ex contrariis compositum, corruptibile esse, & sensibilem Appetitum in ea, quæ sunt secundum sensum delectabilia, moveri, quæ interdum sunt contraria Rationi. Quid porro ad illa reponit S. Doctor? Hoc ipsum plane, quod antea nos reponebamus Hominem bifariam spectando: Sic igitur, inquit, hujusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute considerando humanam Naturam ex parte ejus, quod est in ea inferius; tamen considerando Divinam providentiam, & dignitatem superioris partis humane Naturæ, satis probabiliter probari potest, hujusmodi defectus esse pœnales, & sic colligi potest, humanum Genus peccato aliquo originaliter esse Infectum. Quibus verbis duplicem illam humane Naturæ considerationem apertissime statuit, & Concupiscentiæ perduellionem, quam animalis Hominis conditioni congenitam fore docet, si sola illa spectaretur, absolute tamen Homini uti Ratione prædito repugnantem agnoscit.

Tempus est, ut considerato Naturæ paræ Statu, ad tertium Innocentiæ Statum gressum faciamus, omissio nimirum altero Naturæ integræ; circa quem nullam magni Momenti Controversiam a Theologis agitam hæcenus novimus. Ea de re dicendi initium in sequentibus auspiciabimur, & alia, difficillimaque Divinæ Gratiæ Mystra, quæ tanto animorum æstu, hoc præsertim Sæculo, tractata fuere, explicabimus, ac vindicabimus.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Natura Innocente, seu de Originali Iustitia.

PRÆLECTIO PRIMA.

Primum Hominem in Gratia Sanctificante fuisse conditum; nec tamen hoc Fidei Dogma esse, propugnatur.

Statim in antehabitis de primo, quem proposuimus, humane Naturæ possibili Statu disputavimus contra Bajam, Janfenium, & aliquos primæ notæ Theologos, etiam nostros, quibus ea in parte, quæ Concupiscentiæ in Rationem rebellionem illo in Statu, si daretur, futuram propugnaret, assentiri non possumus. In præsentia de Statu Naturæ integræ, cui alterum assignavimus locum, verba facere debuerimus. Verum cum, uti loco suo præmonuimus, circa ipsum, si extitisset (quandoquidem nec ille extitit, licet possibilis fuerit) nihil occurrat, quod

magni momenti Difficultates præferat, idcirco ad eas statim Controversias accedimus, quæ ad tertium Naturæ Statum, qui Innocentiæ, seu perfectæ Originalis Iustitiæ communiter appellatur, atinent; quæque a magni nominis Theologis agitari solent. Primam itaque, potissimamque illam de Innocentiæ Statu Controversiam agendam aggredimur: nam videlicet Adam in Statu innocentiæ, seu cum Gratia Sanctificante fuerit a Deo primo conditus? Hoc est; num Gratiam Sanctificantem in primo suæ Creationis instanti obtinuerit? Quandoquidem sanctificante Gratia fuisse illum præditum antequam ab ea peccatum excideret, nullus ambigit, aut pura Fide ambigere unquam potuit; quæ credimus, Protoparentem Sanctitatem atque Iustitiam sibi, nobisque peccando eripuisse. Quo pacto enim eripisset, si antequam delinqueret non habuisset? De